

licentia admittendi ad habitum et professionem in illis provinciis in quibus plene non constiterit sacrae congregationi supradictos recollectionum conventus institutos fuisse juxta formam in eodem brevi præ-

MIRACULUM.

SUMMARIUM.

1. Miraculum unde dictum? — 2. Miraculum quid sit? — 3. Ad verum et proprie dictum miraculum quatuor principaliter requiruntur. — 4. Assignatur primum requisitum. — 5. Assignatur secundum. — 6. Assignatur tertium. — 7. Assignatur quartum. — 8. His quatuor enumeratis requisitis addi solet quintum, et assignatur. — 9. Miraculorum triplex est genus, seu ordo, vel gradus. Quodnam sit primum genus, et quæ miracula ad ipsum spectent? — 10. Quodnam sit secundum genus, et quæ miracula ad ipsum spectent? — 11. Quodnam sit tertium genus, et quæ miracula ad ipsum spectent? — 12. Miracula primi generis non est necesse, quod fiant in instanti. — 13. Miracula secundi generis nec ipsa petunt fieri in instanti. — 14. Miracula tamen tertii generis necesse est, quod fiant in instanti. — 15. Miraculum per quid differat a gratia? — 16. Gratia quid sit? — 17. Quando est dubium an sanitas recuperata sit per miraculum, vel per gratiam, concludendum est esse recuperatam per gratiam. — 18. Miracula in sacra Scriptura appellantur interdum *signa*. — 19. Interdum vocantur *prodigia*. — 20. Interdum appellantur *portenta*. — 21. Hæc vox *miraculum*, quamvis pluries habeatur in Veteri Testamento, nunquam tamen reperitur in Novo. — 22. Miracula, prodigia et portenta conveniunt omnia in ratione signorum. — 23. Attamen licet omnia sint miracula, quædam tamen magis proprie appellantur *signa*, quatenus non actu rem signatam ponunt, sed consummantur in præsignatione rei futuræ vel sine rei præsentis. — 24. Miracula autem semper effectum suum ponunt actu a parte rei. — 25. Prodigia et portenta volunt nonnulli quod differant miraculis ex parte effectus et modi significandi, quatenus illa terrorem, vel nocumentum aliis inferant et prænuunt; miracula vero commodum et gaudium. — 26. Alii autem tenent quod miracula illa quæ propter eorum excellentiam majori admiratione et stupore sunt plena, prodigia et portenta appellantur; quæ vero admirationem inferunt, sed non tantam, minora et pura miracula dicuntur. — 27. Pignatell. tamen et alii dicunt quod, inspecto eo quod sit excedens facultatem naturæ creatæ, miracula dicuntur *virtutes*; et inspecto eo propter quod ipsa sunt miracula, nuncupantur *signa*; et quatenus miracula aliquid

(1. Miraculum dicitur mirum factum, vel quasi admiratione plenum. Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. III, alleg. 99, n. 7, et alii passim. (2. Miraculum, prout usurpatur in causis beatificationum et canonizationum, describitur a S. Augustino, *Lib. de util. cred.*, cap. 16, ibi: « Miraculum voco quidquid arduum et insolitum supra spem aut facultatem mirantis apparet, » et a S. Thoma, par. 1, quæst. 110, art. 4, et quæst. 114, art. 4. Miraculum proprie et strictè sumptum definitur, quod sit *id quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ*, et sic doctores passim.

(3. Ad verum, et proprie dictum miraculum quatuor principaliter requiruntur. Glossa communiter recepta in cap. *Glo-*

scriptam. Et interim detur a superioribus generalibus nota ubi respective sunt recollectionum conventus.

« Romæ, 10 Decembris 1714.

« J. R. card. imperialis præfectus. »

præstendent, vocantur *ostenta* sive *portenta*; quatenus vero futura prædicunt, appellantur *prodigia*. — 28. Solus Deus proprie ac physice potest facere vere et proprie dicta miracula. — 29. Possunt tamen sancti ac servi Dei facere miracula moraliter. — 30. Miracula in confirmationem fidei possunt moraliter fieri etiam a peccatoribus veram fidem habentibus. — 31. Nequeunt tamen a peccatoribus fieri, neque moraliter in testimonium sanctitatis, aut insignium meritorum apud Deum. — 32. Hæretici nequeunt facere miracula, neque in confirmationem fidei, neque in testimonium sanctitatis, aut insignium meritorum apud Deum. — 33. Angeli possunt moraliter facere miracula. — 34. Angeli mali seu dæmones nequeunt ullo modo facere vera miracula. — 35. Adducitur et solvitur instantia. — 36. Virtutes, signa et prodigia Antichristi erunt spuria, apparentia et mendacia. — 37. Potestas examinandi et recognoscendi miracula competit non solum Summo Pontifici, sed etiam episcopis. — 38. Debet tamen episcopus, si examinet miracula nondum canonizationum aut beatificationum, antequam divulget aut divulgari permittat, totum negotium ad Sanctam Sedem transmittere, indeque responsum expectare. — 39. Examen miraculorum debet esse exactissimum et rigidissimum, præsertim quoad testes. — 40. Episcopus ad examen miraculorum debet adhibere in consilium etiam theologos et alios viros probos. — 41. Miracula, gratiæ, et beneficia, etc., quæ præsumuntur accepta a Deo ad intercessionem alicujus mortui cum opinione sanctitatis, non possunt imprimi sine licentia Sedis Apost. nisi fuerit canonizatus vel beatificatus. — 42. Miracula gratiæ, etc., talis mortui non canonizati nec beatificati publicari non possunt sine præfata licentia sub pœnis, clericis sæcularibus privationis officiorum, suspensionis a divinis, et administrationis sacramentorum; regularibus vero omnium officiorum, nec non vocis activæ et passivæ. — 43. Quando miracula fieri dicuntur in aliqua ecclesia seculari, sive regulari virtute sacrarum imaginum, statim episcopi mandant operari imagines, et impediunt concursum populi, ne miracula publicentur antequam per testes legitimos fuerint sufficienter probata, et transmissa ad Papam, et transgressores possunt ab episcopis puniri. — 44. Affertur celeberrimum miraculum. — 45. De variis miraculis a Christo Domino patris, *remissive*.

riosus Deus, unic. De reliquis et veneratione sanctorum, verb. *Sedis Apostolicæ*.

(4. 1º Igitur requiritur quod miraculum fiat supra naturam, id est præter ordinem totius naturæ; sicut de virga Moysis mutata in colubrum, et de asina loquente ad Balaam, ex capit. *Cum ex injuncto* 12, De hæreticis. Illud enim quod per causas naturales fieri potest, non est miraculum. (5. 2º Quod appareat illud ex Deo, non ex arte contingere, neque ex diabolo, quia mirabilia, quæ arte applicando activa passivis contingunt, seu ope dæmonis virtute sua naturali angelica agentis efficiuntur, quamvis facultatem et captum humanum excedant, indeque admirationem in intellectu humano causent, non sunt tamen vere et propria

miracula, licet in sensu largo talia dicantur, in cap. *Teneamus* 56, caus. 1, *Exodi* VII, Actor. IX, et alibi: Solus enim Deus proprie ac physice potest facere miraculum; hinc *Psal.* LXXI dicitur: *Qui facit mirabilia solus, et Psal.* LXXXIII: *Tu faciens mirabilia, tu es Deus solus*. (6. 3º Quod fiat non vi verborum, sed hominis merito id contingat. Unde transubstantiatio panis in corpus Christi per sacerdotem vi consecrationis causata, non est miraculum, prout requiritur ad beatificationem vel canonizationem.

(7. 4º Quod fiat vel in confirmationem fidei, vel in testimonium sanctitatis alicujus, in quo Deus se vult mirabilem ostendere, ejus virtutes in aliorum exemplum miraculis illustrando, unde de primo dicto fine ob quem Deus patrare solet miracula, constat ex *Marc.* ultimo ibi: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis*. Et *Hebræor.* II, ibi: *Contestante Deo signis et portentis*. Et de secundo dicto fine constat ex *Psal.* LXI, 36, ibi: *Mirabilis Deus in sanctis suis*. Et de S. Thoma de Villanova in 3 lection. *Officii*, ibi: « Deus sanctitatem servi sui testatam voluit præsertim cum horreum frumento pauperibus distributo penitus vacuum, repente plenum inventum est. »

(8. His quatuor enumeratis ad verum et proprium miraculum requisitis, quintum solet addi, nempe quod fiat præter consuetum et ordinarium modum causandi. Unde quia creatio animæ, conservatio universi, et hujusmodi non fiunt præter consuetum et ordinarium modum causandi, quamvis a solo Deo fieri possint, non sunt ad propositum vere et proprie miracula. Barb., *De offic. et potest. episcop.*, alleg. 97, n. 8; Reiffenstuel, lib. III, *Decr.*, tit. 43, n. 39, et alii.

(9. Miraculorum triplex est genus, seu ordo vel gradus, sicuti tripliciter potest opus aliquod facultatem naturæ excedere. Primo scilicet quoad substantiam facti, seu quoad id quod fit, quando nempe substantia rei factæ est supra vires naturæ; quod constituit speciem miraculorum primi generis, seu ordinis vel gradus; uti est illud quod duæ naturæ uniantur et subsistant in una persona, sicut factum est in Incarnatione, de quo dixit sanctus Augustinus tract. 17 in *Joannem*: « Majus miraculorum est quod Deus factus est homo, quam miracula omnia quæ Deus fecit inter homines. » Ad hoc primum genus, seu ordinem, vel gradum spectat fecunditas et partus virginæ B. M. V.; si idem corpus sit simul cum alio in eodem loco, ut de Christo Domino, qui intravit ad discipulos januis clausis; si corpus humanum glorificetur; si unum corpus simul sit in duobus, vel pluribus locis; si sol stet, aut retrocedat, prout contigit ad preces Josue et Ezechiæ regis, et hujusmodi.

(10. Secundo, quoad subjectum, seu quoad id, in quo fit, quando nempe aliquid est supra vires naturæ, quoad subjectum ejus in quo fit, id est quando aliquid fit, quod natura ipsa quoque facere potest,

sed non in illo subjecto in quo tunc fit; quod constituit speciem miraculorum secundi generis, seu ordinis, vel gradus, uti est resuscitatio mortuorum, illuminatio cæcorum, et hujusmodi: potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo; potest præstare visum, sed non cæco. Ad hoc secundum genus, seu ordinem, vel gradum spectant sanationes paralyticorum quos Christus sanavit, et sanationes aridorum, claudorum, mutorum, vel alio simili morbo laborantium, quorum sanationes omnem medicorum artem et medicinæ virtutem superent, et soli divinæ virtuti reserventur.

(11. Tertio, quoad modum faciendi, quando nempe aliquid est supra vires naturæ quoad modum, faciendi, id est quando tale quid fit, quod etiam natura ipsa facere potest, sed non illo modo. Quod constituit speciem miraculorum tertii generis, seu ordinis, vel gradus; uti est, cum quis subito ac instantaneæ divina virtute sanatur a febris, nullis adhibitis medicamentis, nulla eveniente crisi; aut cum aer statim divinitus condensatur in pluvias absque causis naturalibus, ut legitur factum ad preces Samuelis, et Eliæ prophetæ, et sanctæ Scholasticæ sororis D. Benedicti, et aliorum, et hujusmodi; potest enim natura causare salutem in infirmo, condensationem aeris in pluvias, sed non tali modo, scilicet in instanti, et sine medicamentis, et sine concursu aliarum causarum naturalium. Ad hoc tertium genus, seu ordinem, vel gradum spectant sanatio instantanea a febris socrus Simonis facta a Christo Domino, *Luce* IV, sanationes instantaneæ ab hydrope, ab hernia, et ab aliis hujusmodi morbis illico factæ simul cum integra recuperatione virium ad invocationem alicujus servi Dei, seu sancti, quia, cum per naturam nequeant illico, et simul cum recessu morbi vires totaliter recuperari, ideo quoties morbus hoc modo recedit, et vires simul totaliter recuperantur, non per naturam, vel artem, sed per miraculum accidisse censetur.

(12. Miracula primi generis, seu ordinis, vel gradus non est necesse ut habeantur pro veris miraculis, quod fiant in instanti, quia talia miracula, sive fiant in instanti, sive progressu temporis, semper verificantur quod a solo Deo procedant, cum totaliter superent vires, et facultatem naturæ, a qua nec in instanti, nec successive provenire possunt. Pignatell. tom. IV, consult. 44, n. 6; Lauræa in tom. III, disput. 20, art. 20, num. 863, et alii passim.

(13. Miracula secundi generis, seu ordinis, vel gradus non est necesse quod fiant in instanti, et patet exemplis relatis in sacra Scriptura; de filio enim viduæ a morte excitato ab Elia III *Reg.* XVII, habetur: *Qui expandit se atque mensus est super puerum tribus vicibus... reversa est anima pueri intra cum, et revixit*. Et de filio Sunamitidis suscitato a mortuis ab Elisæo IV *Reg.* III, non statim, sed paulatim ibi: *Nam Elisæus ingressus domum ascendit, et incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus, et*

oculos suos super oculos ejus, et manus super manus ejus, et incurvavit se super eum, et calefacta est caro pueri. At ille reversus deambulavit in domo semel huc atque illuc, et ascendit, et incubuit super eum, et oscitavit puer septies, aperuitque oculos. Et de caeco nato illuminato a Christo Domino, Joann. ix, ibi: *Fecit lutum ex sputo, et livinit super oculos ejus, et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe... abiit ergo, et lavit, et venit videns.* Quæ miracula ex dictis supra num. 10, sunt secundi generis, et tamen, ut patet ex textu, non sunt facta in instanti.

(14. Miracula tertii generis, seu ordinis, vel gradus necesse est quod fiant in instanti, ita ut infirmus sanetur, et vires recuperet statim ac sanctus est invocatus, alias si ita non evenirent, sed progressu temporis, dubitari ac suspicari cum fundamento posset, quod non a Deo supernaturali concursu supra vires naturæ morbus fuerit expulsus, sed ex generali concursu cum natura operante id acciderit; quoties autem dubium est, seu suspicio, quod sanatio potuerit procedere a natura, Ecclesia in causis beatificationis et canonizationis non approbat pro miraculo, sed solum pro gratia, arg. cap. *In obscuris* 30, De regul. juris, in 6, ibi: « In obscuris minimum est sequendum. »

(15. Unde miraculum, ut notat Diana, *Coordinat.* tom. VIII, tract. et resolut. 1, et alii, per hoc differt a gratia: quod miraculum fit in instanti, et gratia successive: quamvis tamen miraculum differat a gratia per hoc etiam quod miraculum a solo Deo procedat, quin physice ad eum concurrat causa secunda; gratia vero procedat quidem a Deo per intercessionem alicujus invocati servi Dei, vel sancti, sed etiam concurrente alia secunda causa; uti patet, cum pro obtinenda sanitate infirmus invocat aliquem sanctum, et interim medicamenta adhibet, et citius, seu in minori tempore, quam si sanctus fuisset invocatus, sanitatem et vires successive recuperat; tunc enim dicitur non miraculum, sed gratia.

(16. Hinc gratia describi potest, quod sit a beneficium procedens ex speciali Dei benevolentia, etiam in linea naturali, a Deo, concurrente simul physice causa secunda, successive factum petenti, sed citius quam si, vel ipse Deus, vel Dei servus non fuisset vocatus. » Matthæucci, in *Practica theologico-canonica*, tit. 3, c. 1, n. 67. (17. Quando autem est dubium an sanitas recuperata sit per miraculum, vel per gratiam, concludendum est esse recuperatam per gratiam, per citatam *Regulam 30 Juris* in 6, uti recte Matthæucci, *loc. cit.*, n. 68, et alii.

(18. Miracula in sacra Scriptura appellantur interdum signa, ut *Deuteronomii* vi, ibi: *Deus fecit signa; Marc. xvi, ibi: Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis; Joann. ii, ibi: Hoc fecit initium signorum in Cana Galilææ, convertens aquam in vinum; et ibidem, cap. iv: Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Galilæa in Judæam sanans filium reguli. Actorum* viii signa vocantur. sanationes para-

lyticorum, claudorum et energumenorum liberationes. (19. Interdum vocantur prodigia, ut *Deuteronomio* vi, ibi: *Deus fecit signa atque prodigia magna; Psal. xxxv, ibi: Quæ posuit prodigia super terram; Joel, ii, ibi: Dabo prodigia in caelo et in terra; II Machabæor. xv, ibi: Prodigia facientem Dominum invocavit; Joann. iv, ibi: Nisi signa et prodigia videritis; Actor. v, ibi: Fiebant signa et prodigia multa, et sæpe alibi. (20. Interdum appellantur portenta, ut *Deuter. iv, ibi: Signa atque portenta; et ibidem, cap. vii: Signa atque portenta; Josue xxiv, ibi: Multis signis, atque portentis; II Paralipom. cap. xxxii, ibi: Ut interrogarent de portento, quod acciderat; Isaia viii, ibi: In signum et in portentum; Ezechiel xxii, ibi: Quia portentum dedi te domui Israel; Marc. xiii, ibi: Dabunt signa, et portenta; ad Hebræos ii, ibi: contestante Deo signis et portentis, et sæpe alibi. (21. Hæc autem vox miraculum, quamvis pluries habeatur in Veteri Testamento, nunquam tamen reperitur in Testamento Novo.**

(22. Miracula, prodigia et portenta conveniunt omnia in ratione signorum, quia omnia præter speciem sui, quam ingerunt sensibus viventium, quid aliud significant.

(23. Attamen licet omnia sint miracula ut pote ardua et insolita, et supra vires naturæ creatæ, quædam tamen magis proprio appellantur signa, quatenus non actu rem signatam ponunt, sed consummantur in præsignatione rei futuræ, ut erunt signa in sole, et luna, et stellis, *Lucæ xxi*, quæ præsignabunt judicium universale proxime futurum. Vel rei præsentis, ut signa prodigiosa censentur illa quæ, dum sancti martyrio afficiuntur, non semel solet evenire, quod nempe feræ mansuescant, terræmotus accidat, statua inanium deorum corruant, magna tempestas oriat, radii et splendores supra caput et circa corpus martyris appareant, concentus angelorum audiantur, faces accensæ videantur, et hujusmodi quæ omnia tanquam signa a Deo dantur ad indicandum quod mors patientis sit ipsi accepta, et injuste, et inique judex, et tyranni operentur, quin effectus alius ponatur a parte rei.

(24. Miracula autem semper effectum suum ponunt in actu; si enim loquamur de miraculis primi generis, ut est Incarnatio divini Verbi, ponit actu a parte rei Verbum incarnatum; si loquamur de miraculis secundi generis, ut est resuscitatio mortui, ponit actu a parte rei mortuum resuscitatum; si loquamur de miraculis tertii generis, ut est sanatio instantanea a febre, ponit actu a parte rei sanitatem. Sic recte Matthæucci, *loc. cit.*, cap. 1, n. 30 et 31, et alii.

(25. Prodigia et portenta volunt nonnulli, quod differant a miraculis ex parte effectus, et modi significandi, quatenus illa terrorem, vel nocumentum aliis inferant, et prænuntiant; miracula vero commodum et gaudium; sicuti resuscitatio a morte, sanatio miraculosa a morbo est miraculum afferens commodum et lætitiā. (26. Alii tamen tenent quod miracula illa, quæ propter

eorum excellentiam majore admiratione, et stupore sunt plena, prodigia, et portenta appellantur; quæ vero admirationem inferunt, sed non tantam, minora, et pura miracula dicantur. Sic Matthæucci, *loc. cit.*, n. 21, et alii. (27. Pignatellus autem, tom. IV, consult. 58, n. 1, observans, quod ex D. Thoma 2-2, quæst. 178, art. 1, ad 3, duo possunt attendi in miraculis, quatenus excedunt vires totius naturæ creatæ, scilicet id, quod fit excedens facultatem dictæ naturæ, quo inspecto, inquit, miracula dicuntur virtutes, et id, propter quod ea fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale, cuius gratia, dicit, miracula nuncupantur signa. Unde infert cum Angel. Rocca, *De canonizatione sanctorum*, c. 22, Miracula, quatenus aliquid præostendunt ostenta, seu portenta vocari; quatenus vero futura prædicunt, appellari prodigia.

(28. Solus Deus proprie, ac physice potest facere vera, et proprie d. miracula. Communis; et ratio est, quia, si aliqua creatura, v. gr. angeli, sancti, ac dæmones possent proprie, et physice facere vera, et proprie dicta miracula, jam miracula non essent supra naturam, nec præter ordinem totius naturæ creatæ, prout requiritur ad rationem proprie, et strictè dicti miraculi, ut patet ex ejus definitione tradita ex D. Thoma supra n. 2. Unde dicitur *Psal. lxxi: Qui facit mirabilia solus.*

(29. Possunt tamen sancti ac servi Dei facere, et revera ab eis plura sunt facta, et in dies fiunt miracula moraliter, quatenus nempe Deus ad preces ipsorum, vel intuitu fidei, atque meriti eorum, aut in confirmationem sanctitatis eorundem miracula patrat, seu patrat, quæ alias non esset patraturus. Unde *Psal. lxxvii dicit: Mirabilis Deus in sanctis suis. Communis.*

(30. Miracula in confirmationem fidei possunt moraliter fieri, etiam a peccatoribus veram fidem habentibus, eamque prædicantibus, ac nomen Dei invocantibus, ut colligitur aperte ex *I ad Corinth. xiii, ibi: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum; ubi, ut vides, aperte supponit posse homines fide vera instructos, licet charitate destitutos, montes ipsos alio transvehere; et de facto patet in Juda proditore, qui in testimonium fidei, æque ac alii apostoli, patratit miracula, Marc. iii, ut recte observat Reiffenstuel, lib. iii *Decret.*, tit. 43, n. 37, et tenent passim doctores.*

(31. Nequeunt tamen a peccatoribus fieri neque moraliter miracula in testimonium sanctitatis, aut insignium meritorum apud Deum, qui est alter finis, ob quem miracula fiunt; miracula enim ob talem finem non possunt fieri, nisi ab illis qui apud Deum specialibus meritis sanctitatis refulent. Communis.

(32. Hæretici autem nequeunt facere miracula, neque in confirmationem fidei, neque in testimonium sanctitatis, aut insignium meritorum apud Deum; ipsi enim carent

FERRAR. V.

fide supernaturali, quæ necessaria est ad facienda miracula; juxta illud *Matth. xvii, ibi: Si habueritis fidem, etc., et dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis; nec habent sanctitatem, cum sint membra præcisa an Ecclesiæ sanctitate, adeoque nullimode possunt facere vera miracula. Pignatell., tom. IV, consult. 67, n. 43; Matthæucci, *loc. cit.*, tit. 6, cap. 3, num. 15 et sequent.; Lauræa, *loc. cit.*, n. 804, et alii passim, et expresse habetur ex concilio Constantinopolit. III, art. 15.*

(33. Angeli boni possunt moraliter facere miracula, sive quia ex voto et desiderio eorum Deus mira præstet, sive quia ministerium ei exhibeant, ut ea mira præstet. S. Thomas part. 1, q. 110, art. 4; Pignat., *loc. cit.*, n. 35, et alii passim.

(34. Angeli mali, seu dæmones, nequeunt ullo modo facere vera miracula. Communis. (35. Nec obstat, quod cap. *Teneamus* 56, caus. 1, quæst. 1, sicuti et *Exodi* c. vii, habeatur magos Pharaonis fecisse miracula, et eod. cap. *Teneamus*; et *Actor. ix* dicatur Simonem Magum patrasse miracula. Non obstat, inquam, quia, ut dicunt S. Augustinus lib. xx *De civitate Dei*, et lib. iii *De Trinit.*; S. Thomas, part. 1, quæst. 110, art. 4, ad 2, et quæst. 114, art. 4, et alii passim, mira illa per magos Pharaonis, et per Simonem Magum, sicut et alia per alios magos, et malos homines ope dæmonis facta, seu exhibita, non fuerunt vera miracula, sed tantum apparentia, et præstigia quædam sensus, et imaginationem illudentia. Vide etiam dicta ad rem sup. n. 5.

(36. Sic etiam virtutes, signa et prodigia Antichristi erunt spuria et mendacia, quia ipse, ut interpretatur S. August. lib. xx *De civitate Dei*, et alii passim, decipiet sensus per illusiones et phantasmata et effingere videbitur, quod re ipsa non efficiet.

(37. Potestas examinandi et recognoscendi miracula competit non solum Summo Pontifici, sed etiam episcopis; habetur clare ex concilio Tridentino sess. xxv, *De invocatione sanctorum*, ubi dicitur: « Nulla etiam admittenda esse miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscante et approbante episcopo; » qui textus non tantum procedit de miraculis jam canonizatorum, sed etiam non canonizatorum, ita ut episcopus etiam istorum miracula recognoscere possit, prout sacra congregatio ejusdem concilii interpres declaravit, teste Fagnan. in cap. *Cum ex eo* 2, De reliquiis et venerat. sanctorum, n. 7, et Barbosa, *De offic. et potest. episcoporum*, par. iii, allegat. 97, n. 3 ubi dicit sic fuisse sibi responsum a dicta sac. congregatione et originalem responsum apud se asservere. (38. Debet tamen episcopus, si examinet miracula nondum canonizatorum, aut beatificatorum, antequam ea divulgari permittat, totum negotium ad Sanctam Sedem transmittere, indeque responsum expectare, juxta constitutionem 37 Urbani

VIII incipien. *Sanctissimus*; Fagnan., *loc. cit.*, n. 10; Reiffenstuel, lib. III *De cr.*, tit. 43, n. 45, in fine.

(39. Examen miraculorum debet esse exactissimum et rigidissimum, præsertim quoad testes, ita ut regulariter non nisi per testes idoneos juratos, qui non sint singulares et qui deponant ex scientia per sensus proprios et singillatim examinentur, miraculum probari valeat, prout pluribus demonstrant auctores, arg. cap. *Venerabilis de testibus*, et c. *Testes*, caus. 3, quæst. 9. (40. Unde episcopus ad examen miraculorum debet adhibere in consilium etiam theologos et alios viros probos, ut expresse præscribitur in concilio Tridentino *l. c.*, ibi: « Adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris. » De hoc argumento fuse admodum, ac docte agit episcopus Novariensis Joseph M. Maraviglia, in suis *Legibus prudentiæ episcopalis*, lege 303, 304, 305 et 306, quem vide.

(41. Miracula, gratiæ, beneficia, etc., quæ præsumuntur accepta a Deo ad intercessionem alicujus mortui cum opinione sanctitatis, non possunt imprimi sine licentia Sedis Apostolicæ, nisi fuerit canonizatus, vel beatificatus. Urban. VIII, constitut. 37 incip. *Sanctissimus*.

(42. Miracula, gratiæ, etc., talis mortui non canonizati, nec beatificati, publicari non possunt sine præfata licentia sub pœnis, clericis sæcularibus privationis officiorum, suspensionis a divinis et administrationis sacramentorum; regularibus vero omnium officiorum, nec non vocis activæ et passivæ. Urban. VIII, constit. incip. *Sanctissimus*.

(43. Unde Laur. de Franchis in *Contraversis inter episcop. et regulares*, p. 252, vers. Ad. 10, relatus a Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, alleg. 97, n. 6, circa finem, refert, quod quando miracula fieri dicuntur in aliqua ecclesia sæculari, sive regulari, virtute sacrarum imaginum, statim episcopi mandant operari imagines, januas ecclesiæ claudi ut impediatur concursus hominum, nec miracula publicantur nisi prius per testes legitimos fuerint sufficienter probata et processus, sive aliquid hujusmodi mittatur ad papam. Et *ibidem*,

MISSA, PROUT EST SACRIFICIUM.

ARTICULUS I.

Quoad ejus esse, effectus et fructus.

SUMMARIUM.

1. Missa est vere, et proprie sacrificium, verique representativum mortis Christi. — 2. Istud sacrificium in missa incrementum idem est cum sacrificio in cruce cruento. — 3. Hæc mystica immolatio carnis Christi, quæ fit manibus sacerdotis, Christi passio, crucifixio, mors vocatur, non rei veritate, sed significante mysterio. — 4. Effectus sacrificii missæ est triplex, scilicet *propitiatorius*, seu *meritorius*, *satisfactorius*, et *impetratorius*. — 5. Missæ sacrificium quomodo sit *propitiatorium*, seu *meritorium*? — 6. Quomodo sit *satisfactorium*?

vers. Ad 12, tenet quod tam sæculares, quam regulares admittentes nova miracula puniri possunt ab episcopo.

(44. Hic juvat afferre magnum et maximum miraculum sic appellatum a decano, aliisque sacr. Romanæ Rotæ auditoribus et relatum a nunquam satis laud. Summo Pontifice Benedicto XIV in appendice in fine tertii tomii sui undequaque aurei operis *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione*. Et est quod B. Petrus Baptista sacerdos et concionator mei Seraphici Ordinis, ac commissarius delegatus ad tyrannum Japoniæ, cum legationem sibi commissam felicissime ad optatum finem perduxisset, ac sibi illius tyranni seu imperatoris animum devinxisset obtinissetque facultatem ædificandi monasterium et ecclesiam in civitate de Meaco, regia illius imperatoris, et exinde plurimos illius nationis, qua verbis, qua exemplis et charitativis officiis una cum sociis ad catholicam fidem convertisset, valde ob id iratus tyrannus indixit ei et sociis mortem crucis; et ut sic crucifixis eorum corpora in cruce ad aliorum terrorem per bimestre remaneret; quo tempore dictus meus beatus Petrus Baptista pluries, ac pluries visus fuit, derelicta cruce celebrare missam in ecclesia sui monasterii, sibi ministrante Antonio Doxico ætatis 13 annor., qui ministraverat ei vivus in missa, et postea simul cum ipso crucifixus fuerat. Unde, uti constat ex processu pro eorum canonizatione, jussu Urbani VIII a supra dictis constructo, et *loc. cit.* integre allato, sæpissime eveniebat, quod corpus beati Petri Baptistæ et dicti Antonii non videbantur in cruce; et postea transacto tempore celebrationis missæ, audientibus interim astantibus canticum quasi cœlestem, iterum videbantur in cruce eodem modo quo martyr in illa passi fuerant, quod, uti revera est, merito appellatur magnum, imo maximum miraculum.

(45. De variis miraculis a Christo Domino in terris degente patris dissemitur in hæc *Bibliotheca* verb. *HEMORRHOÏSSA*, verb. *MAGI*, verb. *FILIUS VIDUÆ NAIM* et verb. *SAMARITANA*.

Alia ad rem, vide verb. *CULTUS SANCTORUM*.

— 7. Quomodo sit *impetratorium*? — 8. Fructus, seu valor sacrificii missæ est etiam triplex, scilicet *generalis*, *medius*, seu *specialis*, et *personalis*, seu *specialissimus*. — 9. Fructus *generalis* competit ex instituto Ecclesiæ generaliter omnibus. — 10. *Medius*, seu *specialis* competit illi, qui pro aliis celebrans offert, et applicat missam, sive ex charitate, sive ex justitia, recepto stipendio. — 11. *Personalis*, seu *specialissimus* competit tantummodo ipsi sacerdoti celebranti, nec est alteri applicabilis. — 12. Fructus sacrificii alius potest esse ex opere operantis, et alius ex opere operato; fructus ex opere operantis unde proveniat? — 13. Fructus ex opere operato unde proveniat? — 14. Fructus, seu valor sacrificii missæ non est infinitus, sed finitus. — 15. Afferitur ratio ad n. 15. — 17. Quædam observatione digna ad articuli complementum in tyronum gratiam indu-

cuntur, ad n. 19. — 20. Agitur de materia sacrificii missæ, de forma, et defectibus consecrationis ad n. 23. — 24. Alia ad rem, *remissive*.

(1. Missa est vere et proprie sacrificium, cap. *Firmiter*, De sanctissima Trinitate, concil. Trident., sess. xxii, canon. 1, et vere quidem representativum mortis Christi; concil. Colonien. II, part. VII, cap. 27. (2. Et istud sacrificium in missa incrementum idem est cum sacrificio in cruce cruento, quia licet Christus resurgens a mortuis, jam non moriturus, mors illi ultra non possit dominari, attamen in semetipso immortallyter et incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio moritur, cap. *Utrum*, 72, dist. 2, *De consecr.* (3. Hæc enim mystica immolatio carnis Christi, quæ fit manibus sacerdotis, Christi passio, mors, crucifixio vocatur non rei veritate, sed significante mysterio, cap. *Hoc est*, 48, dist. 2, *De consecr.*

(4. Effectus sacrificii missæ est triplex; scilicet *propitiatorius*, seu *meritorius*, *satisfactorius* et *impetratorius*. Sic colligitur ex Trident. sess. xxii, can. 3, ubi hæc habet expresse: « Si quis dixerit missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit. » (5. Est enim missæ sacrificium *propitiatorium*, seu *meritorium*, quia ejus virtute et intuitu Deus fit offerenti et iis pro quibus offertur propitius, conferendo ipsis auxilia gratiæ, quibus excitentur ad veram penitentiam, sicque ad consequendam peccatorum remissionem virtute perfectæ contritionis vel attritionis cum sacramento, ex Trident. sess. xxii, cap. 2, his verbis: « Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum penitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. » (6. Est *satisfactorium*, quia Deus illud acceptat tanquam satisfactionem pro pœna temporalis in hac, aut alia vita pro peccatis quoad culpam jam deletis debita, ex Trident., sess. xxii, c. 2, his verbis: « Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite juxta apostolorum traditiones offertur. » (7. Est *impetratorium*, quia per illud impetramus a Deo diversa bona, et spiritualia, et temporalia, ut innuit Trident., cit. sess. xxii, cap. 2, dum dicit rite offerri « non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, et satisfactionibus, sed etiam pro aliis necessitatibus. »

(8. Fructus seu valor sacrificii missæ est etiam triplex, scilicet *generalis*, *medius*, seu *specialis* et *personalis*, seu *specialissimus*; colligitur ex Trident. sess. xxii, c. 6, ubi habet: « Siquidem illæ quoque missæ vere communes censi debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro

non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus qui ad corpus Christi pertinent celebrantur. » (9. Fructus *generalis* competit ex instituto Ecclesiæ generaliter omnibus fidelibus. (10. *Medius* seu *specialis* competit illi pro quo celebrans offert et applicat missam, sive ex charitate, sive ex justitia recepto stipendio. (11. *Personalis* seu *specialissimus* competit tantummodo ipsi sacerdoti celebranti, nec est alteri applicabilis. (12. Et fructus sacrificii alius potest esse ex opere operantis et alius ex opere operato. Fructus ex opere operantis provenit ex merito, bonitate, devotione sacerdotis celebrantis, ut colligitur ex cap. *Ipsi* 1, qu. 1, ubi habetur expresse: « Quanto enim digniores fuerint sacerdotes, tanto facilius pro necessitatibus pro quibus clamant exaudiuntur. » (13. Fructus ex opere operato provenit ex vi, virtute et meritis Christi qui est principalis in hoc sacrificio; et hic fructus nec crescit ex bonitate, nec minuitur ex pravitate sacerdotis, sed æqualiter prodest omnibus, sive missa celebretur per bonum, sive per malum sacerdotem, ut docent communiter doctores, et habet expresse cap. *Intra catholicam* 1, quæst. 1, et cap. *Utrum*, *De consecr.*, dist. 2, ubi habentur præcisa verba: « Intra catholicam Ecclesiam in mysterio corporis et sanguinis Christi nihil a bono majus, nihil a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris et in virtute Spiritus sancti. » Et conc. Trident., sess. xxii, cap. 1, dicit aperte: « Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest. »

(14. Fructus autem, seu valor sacrificii missæ non est infinitus, sed finitus. Ita S. Thomas, 3, q. 79, art. 5; Divus Bonaventura, in dist. 43, art. 3, et Scotus, quodlibet 20, cum suis et aliis magis communiter. (15. Ratio a priori est, quia oblatio hujus sacrificii non est meritoria et satisfactoria, ut fit a Christo, cum Christus nunc non mereatur, nec satisfaciatur, sed quatenus ex institutione Christi habet annexas satisfactiones præteritas ipsius Christi; congruum autem fuit, ut hæc antæxio fieret modo finito, ut sæpius a sacerdotibus frequentaretur et iteraretur, ut videtur præcepisse ipse Christus, dum dixit: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei commemorationem facietis*, ly etenim *Quotiescunque* extenditur ad iteratas vias, ad iteratas satisfactiones; hæc autem iteratio arguit limitatum et finitum valorem ejusdem sacrificii, nam si esset illimitatus et infinitus, non exigeret illam reiterationem, cum unum sacrificium tantæ virtutis esset, quantæ essent plura sacrificia, et unica missa, utpote infiniti valoris, sufficeret ad exhauriendum totum purgatorium; (16. simulque posset quis per unius missæ celebrationem satisfacere pro centum et mille stipendiis, quod est damnatum ab Urbano VIII, die 21 Junii 1625, et ab Alexandro VII in decreto sanctæ Inquisitionis die 24 Septembr. 1633, ab